

AYMEN, JEAN BAPTISTE.

Fransk naturforskare och läkare, född i Sarlat 1729, död i Castillon 1784.

60.

Jllustrissimo doctissimo Carolo Linnæo historiæ
Naturalis Legislatori, academiarum ups. stok.
Lond. monsp. &c. Socio, nec non jn upsaliensi
Lyceo Botanices professori, J. B. Aymen, doctor medicus.

Quam omnibus historiæ naturalis cultoribus concedis benevolentiam, Vir celeberrime, mihi persuadet, te non retorvo oculo hanc accepturum epistolam, teque mihi non recusaturum responsum. tibi quædam offerendi a te quædam expostulandi, tibi quasdam communicandi observationes est animus.

Nostra jn provincia reperiuntur plantæ et insecta, quæ nec circa parisios, nec circa Monspellium, nec, ut verisimile est, jn suecia videntur. jllarum Bulbos, semina, istorum ova, aut nymphas lubenter mittam, si quid gaudii tibi procreare valeant. mittam et quoque tibi plantas exsiccatas, quas copiosissime a coloniis Nostris americanis et Africanis quavis die accipio. hæc omnia facillime per naves burdigalenses suecicos portus petentes ad te pervenient.

pro isthoc, vir doctissime, vellis quæso plantas suecicas aut laponicas exsiccatas mihi præbere, et præsertim genera quæ jn galliis, aut jn horto regio parisiensi non reperiuntur. Ut Linnæa, isoetes, peloria, andromeda, Bartsia &c. donum certe pretiosissimum, pro viro, cui Botanices studium jn deliciis est, quique omnia jmpendit, ut herbarium, jam ultra sex millibus plantis ditatum perficere possit. Mittas et quoque, quæso, *philosophiam tuam Botanicam*, quam apud typographos nec franciæ, nec anglia et hollandiæ, non reperii.

Sed a te ardentius specto, quod observationem quam a te ab uno anno accepisse scripsit mihi D. B. De jussieu mei amicissimus, mihi fusius communicare vellis. Doctissimo mandasti amico, quod jnstructor filii tui¹ reperierit istud insectum, (evadens inde in phalenam) quod apud vos, jn agris secalinis, culmos jntrando, spicas causat effœtas. mira quidem hæc observatio. Nam sepissime, non solum jn culmis, sed etiam jn axibus, graminis 57. Bot. par., Zeæ, Dipsaci jnsecta reperii quin spicarum sterili-